



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnium Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCXLVII. ad annum CCCCI.

Parisiis, 1644

III. De eadem re.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15256

a sanctis patribus tam in Nicæna Synodo, quam & in hac sede constituta, ponamus, quibus fratres & coepiscopi nostri fulti, insidias inimicorum, auxiliante Domino, valeant euadere, & prout Dominus posse dederit, paucioribus verbis tantorum malorum imitemur compendium, & strictim, quæ in volumine literarum vestrarum comperimus, retractemus, & alia nonnulla instantis temporis necessaria, prout petitis, ponamus.

I.

Est namque synodicis decretum institutis, vt nemo episcopum penes sæculares arbitros accuset, sed apud summos primates.

II.

Si quis aduersus episcopum causam habuerit, non prius aliosepiscoposadeat, vt eum accuset, quam familiariter ei suam indicet querelam, & ab eo aut iustam emendationem, aut rationabilem percipiat excusationem, ipsa nos instruente veritate: *Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te & ipsum solum. Si te audierit, lucratus es fratrem tuum. Si te non audierit, adhibe duos vel tres tecum: & si non hos audierit, dic ecclesiæ*, id est, accusa eum publice, & non prius. & reliqua.

*Math. 18.
Luc. 17.*

III.

Si quis episcopum post hæc elegerit accusare, summis primatibus episcoporum suam indicet causam, & non sæcularibus, qui magis ad pacem quam ad iudicium eos reuocent, vt caritas in omnibus & ab omnibus custodiat. Si primates accusatores episcoporum cum eis pacificare familiariter minime potuerint, tunc tempore legitimo eos ad Synodum canonicè conuocatam, non infra angusta tempora, canonicè conuocent, & non prius quam eis per scripta significant quid eis opponitur, vt ad responfionem præparati adueniant. Nam si aut vi, aut timore eiekti, aut suis rebus expoliati fuerint, nec canonicè euocari ad Synodum possunt, nec respondere æmulis debent, antequam canonicè restituantur, & sua eis omnia legaliter reddantur.

*5. q. 2. Si
primates ac-
cusatorum.*

IV.

Si quis episcoporum fuerit suis rebus expoliatus, aut a sua ecclesia vi aut timore expulsus, quod omni Christia-

Concil. Tom. 3.

li ij